

rectionis veritatem oppugnabant. Sic etiam facit hæc particula contra illos, qui *Christi genealogiam* labefactabant, ejusq; *prosapiam ex Domo Davidis, & Tribu Juda* negabant. Conf. *Vener. Dn. D. Calovius* super h. l. Habent etiam hæc usum *διδασκαλικόν, δεικτικόν, ὑποδεικτικόν, διακριτικόν, ὁριστικόν, παρακλητικόν &c.*: quæ latius persequi non licet.

33. Postremo *Paulus* præsens Oraculum concludit verbis emphaticis, quæ non obscure *Causam finalem* exhibere videntur, *secundum Evangelium meum*. Licet enim alias *Evangelium Christi, vel Pauli*, sit alio respectu *principium & medium Mnemosophias paschalis*, & sic ad *causam Efficientem* referatur, cum omnis *Mnemosophia paschalis* ab *Evangelio* pendeat, & inde suam *originem* sumat: vel etiam *materialiter* eam ingrediatur, cum *Mnemosophia paschalis* non ex aliis constet, quam ex *oraculis Paschalibus* de resurrectione *Christi* per *Evangelium* revelatis, quo respectu *causam materiale Evangelium* concernit: vel etiam ad *causam formalem*, dum *Evangelium* resurrectionis *Mnemosophiæ paschali* dat esse, dat distinguere, dat operari: tamen hic etiam *causam finalem* respicit, tum quia h. l. tanquam *norma*, seu *regula Mnemosophias* introducitur, ut omne *μνημόσυνον* resurrectionis, *secundum Evangelium Paulinum*, instituat, atq; *normaliter* dirigatur; tum ut per ipsum *Evangelium* in hac *Mnemosophia fides paschalis* obtineatur; tum ut per hoc *Evangelium paschalis ardor charitatis* in cordibus omnium fidelium, accendatur, sicut hoc discipulis Emaunticis contigit *Luc. xxiv. 32.* tum ut per *Evangelium Pauli fides & charitas* in fidelibus continuetur, cum *Evangelium* sit *medium continuandæ Mnemosophias paschalis*, sine quo statim omnis *memoria resurrectionis* deficit: tum ut *Evangelium* esset *panoplia* contra *paschalẽ incredulitatẽ*, & omnia *Mnemosophias paschalis impedimenta*; tum ut *Evangelium* esset *medium applicationis*, sicut factum *Thome Job. XX. 28.* tum ut *Evangelium* sit *medium corroborationis paschalis* in omnibus tribulationibus, persecutionibus, & aliis afflictionibus, quo *Paulus* h. l. directe respicit, sicut contextus ostendit. Nam *Evangelium* h. l. non *Christi mandata*, sicut *Grotius* hic perperam interpretatur, sed *Evangelium paschale* designat: sicut n. *Christus propter peccata nostra mortuus, sic etiam propter justitiam nostram resuscitatus Rom. IV. 25.* Conf. *Venerandi Dn. D. Calovii Bib.*

*Illustr. ad h. l.*